

(1296) 1297, març, 23

Ferrari de Corçà, fill de Ferrer de Corçà, cavaller de Cruïlles i de Ferrera, retorna als seus pares l'herència que n'ha rebut.

ASD núm. 325, còpia de 1297 closa per Pere Burgués, notari de Girona, 300 x 265 mm, molt deteriorat.

Hoc est translatum fideliter sumptum a quodam instrumento cuius tenor talis est. Sit notum omnibus quod ego Ferrarinus de Quartiano [...] filius Ferrari de Quarciano militis de Crudiliis et domine Ferrarie uxoris eius, gratis et ex certa sciencia per me et per omnes meos successores presentes atque futuros, cum ego uiderim quod dictis meis parentibus sit necessarium eo quod senectus opprimit eos et sic propter senectutem eorum et impotenciam suarum personarum non possunt bene ad eorumdem utilitatem et uitam sustentandam laborare, et hoc est notorium per totam hanc diocesim Genmdensem, scilicet quod ego accipio omnia bona et consumo que in passe meo et ad meum mansum pertinent pro ludo taxillorum et plures alios abusus et consumaciones, ideo timens ne bona michi collata uel donata per dictos parentes meos sue[...]ntur et consumerentur per me, prauis modis et usibus; et similiter timens ne dicti parentes mei propter dictam senectutem et impotentiam eorumdem ad inopiam perueniant, maxime quia iam uideo in presenti quod ipsi non possunt bene eisdem subuenire in uictualibus neque in aliis necessariis requirendis propter hanc donacionem [...] quorundam bonorum factam cum publico instrumento confecto pridie idus augusti anno .Mccxc. quarto per manum Raimundí de Sancto Antonio, publici notarii de Monellis, prout in eodem instrumento hoc plenius continetur, quam donacionem uobis dictis parentibus meis reddo [...] ut dictum, et uolo et ordino quod uos et uestri successores possitis perpetuo [...] promittens uobis et uestris me numquam dicta bona repetere iure aliquo siue causa nec aliquo modo contrauenire, imo conuenio uobis et uestris presentem renunciacionem dicte donacionis mihi facte per uos alios ut dictum est, facere habere et tenere et possidere et numquam contrauenire, iurans per Deum et eius sancta .un.or Euangelia corporaliter tacta predicta omnia atenderere et complere, uirtute cuius sacramenti renuncio scienter et consulte iuri quod introductum est pro filiis habentibus adhuc uiuos parentes et usatico Barchinone et priuilegio, usui et consuetudini obuiam uenientibus et etiam restitutioni in integrum et iuri patrie potestatis et omni alii iuri tam speciali quam generali, introducto et introducturo pro filiis parentes uiuos habentes, difiniendo nichilominus et remitendo uobis et uestris perpetuo quicquid iuris et rationis in predictis bonis habebam et habere poteram uel debebam aliqua racione, Et nichilominus renuncio super hiis iuribus et racionibus quibus causa ingratitude donaciones, difiniciones atque remisiones facte per filios suis parentibus possunt aliquatenus reuocari, et maxime illi iuri per quod donaciones et remisiones immense absque insinuatione iudicis posse reuocari uel requiri [...] pro qua donacione et diffinitione confiteor a uobis habuisse et numerando recepisse .ccc. solidos barchinonensis monete de temo, quos habui et expendi et solui [...] renunciando scienter super hiis omni auxilio legis [...] predictam donacionem [...] atque protestata per me de legitima michi pertinente in dictis et de dictis bonis.

Actum est hoc .x. kalendas aprilis anno Domini .Mccxc. septimo. Sig+num Ferrarini predicti, qui hoc laudo et firmo. Testes sunt Ferrarius sa Parra, baiulus de Crudiliis. Sig+num Iacobi Martini, notarii de Crudiliis, qui hoc scripsit. Sig+num Petri Burgesii, tenentis locum Raimundi de Toylano, publici Gerunde notarii, qui hoc .m. kalendas augusti anno Domini .Mccxc. septimo hoc fideliter translatauit et cum autentico comprobauit. Sig(s. man.)num Raimundi Calueti, iudicis ordinarii Gerunde, qui hoc translatum cum originali manifeste probauit, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 612-613